

/ Reverende Pater. Audivi conciones meas latinas, quas habet Reverentia Vestra non esse ex meo autographo descriptas, sed ex ore dicentis excerptas. Ego autem existimabam descriptas esse ex concionibus, quas habebant Lovanii monachi Pareenses: qui cum  
5 vicini essent, accipiebant à me conciones, easque descriptas ex meo autographo legebant ad mensam. Et quoniam non videtur fieri posse, ut conciones ex ore dicentis excerptae, tales sint, ut in lucem emitti possint; rogo Reverentiam Vestram, ut parcat honori meo, et vel omittat editionem, vel conferat scriptas, quas habet  
10 conciones cum duobus libris, quos isthuc misi per procuratorem vestrum: vel quando nihil aliud fieri possit, saltem initio admoneat lectorem, conciones ex ore dicentis fuisse excerptas: ut si, quae sint errata, non mihi, sed scriptori attribuantur. Valeat Reverentia Vestra, mei memor in sanctis precibus suis. Romae die 8 Iunii  
15 1612.

Epist. famil. XCIV.

=====

(8 juin 1612?) Ex epistola ad R.P.F. Simonem Ryckium.

Compositur:  
8 ian

Non solum accepto libentissime, quem Paternitas vestra offert laborem recognoscendi conciones meas latinas; sed etiam illi ex  
20 animo gratias ago. Libere deleat si quid eveniat quod erratum dici possit, si quid leve aut supervacaneum occurrat; quin et libere corrigat si qui describere unum verbum pro alia posuerunt. Summa est, agat Paternitas vestra in meo opere, quod in proprio ageret.

Ed. Gl.  
1615

=====

(23 juin 1612?) Ex alia epistola.

Compositur: 8 ian

25 Ago gratias charitati vestrae cui placuit subire onus recognoscendi meas conciones latinas, et omnino assensum praebeo ut edantur, si R.V. iudicat eas fore utiles populo christiano, et pergat eas recognoscere, et emendare errata sive scriptoris, sive forte mea.

Ed. Gl.  
1615